

Letter 89: [March] 1521, Basel, Conradus Pellicanus to Capito

The manuscript of this letter is in the Universitätsbibliothek, Basel, Ki.Ar. 25a, #71. The year date is given in the address on the outside of the letter.

Salutem et gratiam.

Vix inter celeberrimae aulae densissima negocia principis tui, eruditissime Wolfgange, tam es occupatissimus quam ego in fratrum meorum pusilla grege me negociosum credam, ut initium literarum interceptionis neutri debeat imputari, tametsi Basileam tocies scribens amicum
5 vel per literas salutare obmiseris. Sed et hoc reiicio in occupaciones tuas, nisi forsan monachorum nomine tibi ceperim vilescere. Sed *habitarunt dii quoque silvas*, nec adimit tamen forma vestis humanitatis quippiam, si nihil permittat eciam. Evangelio et Paulo ad unum omnes fratres invigilamus. Versus mihi videtur predicator noster et egregie evangelizat et in
10 frequentissimo auditorio non sine insidiis, quas contemnit. Alioqui pauci tuum munus obeunt quod Basiliensibus non infeliciter abiens commendasti christianissima dogmata; obstrepunt complures, alii dissimulant.

De Luthero Deus viderit, cuius videntur dispensacione regi quae sunt hactenus passim tentata; cuius denique gratia sola bene verti tam periculosissima poterint. Tu alterum agis, ut spero, Mardocheum ut pietati patrocineris. Ego cum fratribus concordancias urgeo maiores
15 Veteris Instrumenti iuxta Hebraicam veritatem e regione translacione nostra tam varia adnotata. Ad mensem Iulium absolvetur, meo sensu ad multa utilis labor futura. Praestabit lexicon incomparabile, grammaticam Hebream, correcturam Bibliae, annotationes in Vet. Test., collacionem scripturae aptissimam et nominum propriorum interpretationes. Tu si Hebraea nactus, aliquando nostri memineris. Siquidem nosti quam nihil tibi unquam ne gaverim
20 sudorum meorum.

Vale in Christo et implicatus secularibus negociis vide ut tamen Deo militare non cesses. Laciore esse nequeo, habebis me amicum, si velut lapis eciam obmutueris. Scio te obrutum maioribus. Tecum sit Dominus et a malo semper custodiat. Ex Basilea, ut cernis, ocius. Tuus Pellicanus.